



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica

Geulincx, Arnold

Lugd. Batav., MDCLXXV

§. 6. Bonum Vtile.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48728)

qua infra dicemus : sed in his omnibus observandum est , non esse prorsus idem quod amatur & Malum : ut in exemplo proposito pueri splendorem amant , & is Bonus est , seu Bonum jucundum : amaritudinem , quam ignorant , quæque Malum injucundum est , ita scil. ut Bonum non possit odio haberi nec Malum amari , cum loquimur de eodem genere amoris & odii , de eadem re objectâ , quæ vel amatur , vel odio habeatur , sitque vel bona vel mala.

Bonum in usitatâ distinctione in Utile , jucundum & honestum dispescitur : bene an male, infra videbimus.

*§. 6. Bonum Utile.*

**U**tile est medium boni: id est, tale aliquid, quod servit & conducit ad assequendum Bonum seu id quod amamus : ut si Doctrina Bonum sit , seu amamus illam , studium erit utile , quia eo servit & conducit naturaliter ut docti evadamus. Similiter , si in tempestate salus bona sit Mercatori ( ut esse certe solet ) Utile erit merces ejicere in mare : hoc enim servit & naturaliter conducit ad salutem , seu ut ipse cum navi sua salvetur.

Ex

Ex his clarè patet Bonum Utile non esse Bonum : non amatur enim per se & suo nomine ; sed ad summum per accidens & propter aliud aliquid amari appetique dicitur : hinc etiam Finis Cujus non est absolute Bonus , sed ad summum Utilis : ostendimus enim jam ante eum esse duntaxat medium aliquod ad Finem Cui : Ex quo item hoc sequitur, eos, qui Deum faciunt Finem Cujus , se ipsos Finem Cui (ut qui omnia quærere se dicunt, ut Deum ipsum sibi assequantur, à quo æternum beandi sunt ) non habere Deum in Bonis : habent enim eum tantum in Utilibus, Utilia vero non sunt bona , ut ostendimus, sed conducunt ad bona.

Petes ergo an Utile & medium sint idem : item an Finis & Bonum sint idem ? Respondeo ad posteriorem quæstionem, infra dicam ad priorem Respondeo autem negative : Medium enim ad ea etiam est, quæ non amamus : ut mala dieta medium est ad morbum, mala dieta tamen non absolute Utilis dicitur, sed potius inutilis & noxia : plus ergo requiritur ad Utile, quam ad medium, nempe sit medium boni, seu ad acquirendum id, quod amamus. Quia vero res omnis ultimate in Deum tendit, ceditque in ejus gratiam atque favorem,

vorem, hinc etiam res quælibet eatenus est Utilis, & verum est illud: *Deus & natura nil frustra, nil inutile fecerunt*, quod scholis adeo decantatum est.

Intelligitur ex dictis etiam quale medium intelligatur in definitione Utilis: cum enim medium totidem dicatur modis, quot Finis; aliudque proinde sit medium Operis, aliud Operantis (prout scilicet res vel ab Operante in certum Finem destinatur, vel naturâ suâ ad illum tendit & conducit) intelligitur, inquam, in definitione, medium Operis: nec ad Utile sufficit, quod sit medium Operantis: Operantes enim in Finem destinant sæpe media prorsus inutilia: ut qui oleum conjicit in ignem, putans oleum illud esse aquam: Medium hic est Operantis, ut restinguatur flamma, sed quia non est medium Operis, hinc inutile, non vero Utile vocatur.

§. 7. Bonum Jucundum.

**B**onum Jucundum est, quod amamus amore passionis: ut valetudo, robur &c. quas res secundas præcedenti Tract. 2. vocavimus: ex quo patet Jucunditatem etiam circa honestatem, imo etiam Utilitatem versari; multa enim jucunda nobis sunt,